



- 1 Erhardus S. Rom. Imperij comes Truchses de Welz,  
haufus S. Cas. Maij Camerarii a puriore Ecclesia  
Deo ius ostensus Disp. theol. prof. G. Fitis D. et  
M. Ruberto Othonis Helmst. 1652.
- 2 Desiderium et studium concordia Eccles. G. Calixt. 1650.
- 3 De fide & operibus S. Patris & Doctoris Aurelii  
Augustini Episcopi Hipp. liberung edita a D. Henrico  
A dissertatione de hoc argto Eius de Aut. Henr. 1652.
- 4 Dissertation de Majestate Civili D. Joh. Henrichij  
de laeris publicis templis & diebus festis enarratio  
autore M. Ioac. Hildebrande Helmst. 1652
- 5 De cultu S. Virg. Mariae ap. Pont. G. Calixt. 1650.
- 6 de primatu Rni Pontificis G. Calixt. 1650.
- 7 de S. Scra, praf. G. Calixt. aut. et ref. M. Ecardo 1649
- 8 de justificacione hominum coram iudicio dei G. Calixt  
Resp. M. Gerh. Fitis. 1650.
- 9 de controversijs q' circa Eucharist. inter Catho  
licos protestantes et Pont. incedunt preside  
D. Gerh. Fitis Resp. Fr. Ulr. Calixt. p. p. 1652
- 10 de S. Gerā. p. p. D. Gerh. Fitis Resp. Fr. Ulr. Calixt. 1650
- 11 de S. Trinitat misterio p. p. Gerh. Fitis et Fr. Ulr. Calixt.
- 12 de immortalitate animae G. Fitis et Fr. Ulr. Calixt. 1650
- 13 de supremo iudicio & eterna beat. G. Fitis et Fr. Ulr. Cal.
- 14 de praedestinacione G. Fitis D. K. Conrad. 1650
- 15 de praedestinacione G. Fitis D. K. Conrad. 1650

xxx

Disputatio Theologica  
*DE*  
**PECCATO**  
**ORIGINIS**

*Quam*

D. T. O. M. A.

*P R A E S I D E*

**HENRICO MARTINO**  
Eccardo SS. Theol. Doctore

& Profess. Ordinar.

*Ad diem IV. Calend. Martij*

*Publico examini subjicit*

**JOHANNES RUDOLPHUS HAGIUS,**

Diepholdia Guestphalus.



*R I N T E L I I,*

Typis exscrispsit PETRUS LUCIUS, Typographus Academicus,

M. DC. LI.

T 161

*ILLUSTRISSIMÆ AC GENEROSISSI-  
ma Comiti ac Dominae*

**DN. MARIÆ MAGDALENÆ,**  
natæ Comiti de Waldec, Comiti ac  
nobiliori Dominae Lippiæ,  
Viduæ, &c.

Dominae suæ clementissimæ.

*Nec non*

*ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO  
Comiti & Domino*

**DN. Jobst Hermann / COMITI AC  
nobiliori Domino Lippiæ, &c.**

Domino suo clementissimo..

Disputationem hanc Theologicam  
maxima cum animi devotione.

*Offert ac dedicat*

**JOHANNES RUDOLPHUS,**  
**Hagius Diepholdensis.**



## Quæstio Prima.

*Utrum detur aliquod peccatum originale?*

### I.

**D**ARÍ peccatum originale unicè ex sacris literis innotescit. Etsi enim Philosophus ex lumine rationis cognoverit, intellectum ignorantiam laborare atque ad veritatis lucem sicut vespertilionum oculos ad meridiem cœcutire, appetitum itidem contra rationis dictamen ita in-  
ordinatè ferri in res jucundas, ut earum inexplebilis sit appeti-  
tio; nihilominus tamen hujus labistum originem tum natu-  
ram & magnitudinem ignoravit. Sola Scriptura itaque nos docet, primos parentes nostros propter inobedientiam suam ex statu felicissimo, in quo conditi erant, deturbatos & in statum plane contrarium conjectos esse, in quo non solùm ipsi varijs miserijs, & quod maximum est, iræ divinæ atque æternæ damnationi obnoxij fuerunt, verùm etiam per naturalem propagationem idem malum in omnes suos posteros derivarunt. Et hoc est, quod phrasí ecclesiasticā peccatum originis vocamus.

II. Hinc Paulus Rom. V.12. *Per unum hominem inquit, peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervasisit, in quo omnes peccaverunt.* Idem Ephes. II. ¶ 3. *Versati olim sumus in cupiditatibus carnis nostra, facientes, quæ carni & cogitationibus libebant, eramusq; naturâ filii ira Job, XIV. ¶ 4. Quis proferet purum ex immunda (massâ?) ne unus quidem*

A 2

(profer

(proferri poterit.) David Psal. LI. 6. En ego in iniuitate formatus  
sum & in peccato concepit me mater mea.

III. Porro confirmatur hæc doctrina ex necessitate baptismi. Si enim infantes propterea sunt baptizandi & regenerandi, ut hæredes vitæ æternæ fiant, utique cum peccato nascantur necessè est. Ratio hæc redditur: quia nihil præter peccatum æternâ salute arcet & excludit. Unde servator noster ipse Joh. IIII. 5. & 6. Nisi quis genitus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum DEI. Quod genitum est ex carne, caro est, & quod genitum est ex spiritu, spiritus est. Ne mireris, me dixisse tibi, oportet vos iterum gigni. Ob quam causam primitiva ecclesia non solum adultos, sed etiam infantes, cùm mortis periculum adesset, baptizari curavit, quod sanè non fecisset, nisi parvulos peccato infectos esse credidisset.

IV. Cæterum quod suprà diximus, Adamum peccatum in omnes suos posteros derivasse, quippe in quo omnes peccaverunt, id veritatum est, modo excipiatur Christus, qui conceptus est sine omni peccato: non enim cum concupiscentiâ de semine viri, sed Spiritu sancto conceptus & natus est, uti Angelus de Mariâ ait: Quod in eâ genitum est, ex spiritu sancto est, Matth. I. 20. Et ad Mariam ipsam: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi numbrabit te: propterea id etiam, quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur filius DEI, Luc. I. 35.

V. Pontificij, præsertim Franciscani, à communi illâ hominum conditione etiam B. Mariam virginem exemptam volunt, non obstante, quod ea communi modo concepta & nata sit. Hinc quotannis festum immaculatæ conceptionis ejus celebrant. Verum cùm de eo nec ex scripturâ, nec ex antiquitate quicquam constet, eâdem facilitate id rejicitur, quâ assertur. Interim hoc ipso nihil: sunt verba Chemnitij, de tram. etum volumus dignitati B. Mar. virginis. Amplectimur enim summâ animi reverentiâ, quod ipsa canit: Ex hoc beatam me dicit omnes generationes, quia magna mihi fecit, qui potens est.

Exa-  
min.  
Conc.  
Trid.  
par. I.  
Senti-

Sentimus autem, ita rectè beatam prædicari Mariam virginem, si ea ipsi tribuantur, quæ & scripturae consentanea sunt & inde probari possunt, ut sanctum sit nomen Domini. Necnulla alia celebratio ipsi grata esse potest.

V.I. Quemadmodum autem salutis nostræ hostis per hæreticos præcipua Christianæ religionis capita nunquam non impugnavit; ita etiam hunc articulum maximè fundamentalem arietavit. Etenim seculo post Christum natum quinto excitavit Pelagium, qui parvulos cum peccato nasci, aut ullam labem ex Adamo contrahere negavit. Huic priscæ ecclesiæ Doctores sese masculè opposuerunt, tuim scriptis tum Concilijs, inter quæ Milevitatum in Africâ & Araulicanum in Galliâ eminent. Pelagianam hæresin avorum memoriâ resuscitarunt Anabaptistæ, cum quibus consentiunt novi Photiniani. Graviter quoque erravit Zwinglius, qui labem originalem morbum quidem vocavit, peccatum tamen dicere noluit. Idem Albertus Pighius, quem fecutus est Ambrosius Catharinus, falsò docuit, peccatum originis nihil aliud esse nisi actualem peccati transgressionem reatu tantum & poena transmissam & propagatam ad posteros, sine vitio aliquo & pravitate hærente in ipsorum substantiâ. Objectiones tum veterum tum recentiorum errorum ad ipsum confictum rejecimus.

## Quæstio Secunda.

### Quomodo peccatum rectè definiatur?

I.

**S**i è vulgo fideles, in quorum informatione vocabulis communibus & à quovis intelligi aptis utendum est, hunc articulm doceantur, totum negocium paucis expediri posse existimamus. Eniinverò simplicioribus Christianis sufficere videtur, si cre-

dant, singulos homines, originem suam Adamo acceptam ferentes, cum peccato nasci, ac propterea aeterno exitio esse obnoxios, nisi per gratiam Dei ob meritum Christi liberentur. Utrum enim plura assequi valeant idiotae, merito dubitatur. At verò in scholis, ubi illi videlicet erudiuntur, qui aliquando ecclesiæ doctores sunt futuri, tum hujus tum cæterorum fidei capitum accuratior requiritur tractatio, hisce præsertim temporibus, quibus propter adversariorum argutias, disputandi quoque pruritum & omnia subtilius excutiendi libidinem, sanctæ simplicitati, quâ veteres contenti erant, inhærire haut licet. Ob quam causam non possumus quæstionem propositam silentio involvere, quam tamen nunc paucis saltem delibabimus.

II. In Apologiâ Augustanæ Confessionis duplex proponitur & approbatur peccati originalis definitio. Altera, quæ satis vetus est, formalem ejus rationem tantum exponit, atque ita habet: *Peccatum originis est carentia iustitiae originalis*. Dicitur *carentia iustitiae originalis*. Etenim peccatum originale privativè opponitur iustitiæ originali, quæ cum maximum bonum & summa hominis perfectio sit, quæ scilicet in viatorem cedere potest, vitium quoque ei oppositum gravissimum malum maximaque hominis depravatio & corruptio est.

III. Nempe ante lapsum imago Dei hominem ita decorabat, ut singulæ ejus partes divinam quandam perfectionem referrent, illæ præsertim, quæ homini competit, quatenus talis est. Intellectus Deum quoad essentiam & voluntatem ejus perfectè cognoscebat, atque omnia, quæ ad aeternam beatitudinem adipiscendam cognitu necessaria erant, habebat perspecta. Voluntas Deum supra omnia amabat, nec in ullum bonum caducum inordinate ferebatur. Appetitus sensitivus imperio rationis sese nunquam subducebat aut opponebat. Hæ perfectiones simul sumptæ iustitiae originalis nomine veniunt. Post commissum autem peccatum

tum illuminationi mentis & cognitioni rerum ad æternam felicitatem consequendam necessariarum successit ignorantia cum pronitate ad falsa & erronea judicia. Voluntas averfa est à Deo atque ad odium, invidiam & desperationem proclivis. Appetitus sensitivus est rebellis & nunquam non inclinat ad terrena & carnalia desideria. Enarratæ privationes junctim acceptæ in homine peccatum originis constituunt & omnes adductâ definitione comprehenduntur.

IV. Altera definitio, quæ in dictâ apologiâ continetur, præter formale peccati etiam materiale includit, estqne Thomæ, qui primâ secundæ quæst. LXXXII. art. i. ad L. ait: *Sicut aegruudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur aequalitas sanitatis & aliquid habet positivi, scilicet ipsos humores inordinatè dispositos, ita etiam peccatum originale habet privationem originalis justitiae & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ. Vnde non est privatio pura, sed est quidam habitus corruptus.* Cum hac Thomæ definitione coincidit peccati originalis descriptio, quâ ipsa Augustana Confessio utitur, cùm ait: *Docent (ecclesiæ nostræ) quòd post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagari nascantur cum peccato, hoc est, sine memtu DEI, sine fiduciâ erga DEVIM & cum concupiscentiâ.* Quare autem laudata confessio mentionem fecerit concupiscentiæ, id exponit apologia his verbis: *Adversarij in scolis fatentur, materiale (ne vocant) peccati originalis esse concupiscentiam, quare in definiendo non fuit prætereunda, præsertim hoc tempore, cùm de ea nonnulli parùm religiosè philosophantur.* Interim expressè addit apologia, utramque definitionem, scil. tum eam, quæ formale tantum, tum istam, quæ materiale simul exprimit, si rectè intelligantur, esse bonam, quâ fini etiam subiungit verba Bonaventuræ: *Cùm queritur, quid sit originale peccatum, recte responderetur, quòd sit concupiscentia immoderata. Rectè etiam responderetur, quod sit debita justitiae correntia.* Et in una istarum responsorum includitur altera. *Et ha sententia (ita pergit apologia) consen-*

8108



siunt cum scripturis. Nam Paulus interdum expressè nominat defec-  
tum, ut 1. Corin. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ spiritus  
Dei sunt. Alibi concupiscentiam nominat efficacem in membris  
et parentem malos fructus.

V. Ne tamen alicui æquivocatio vocum *materiale* &  
*formale* imponat, sciendum est, *et formale* tripliciter accipi.  
1. Idem est *aceſſentiale*, quod ex materiali & formalī conſtat,  
ex.gr. formalis ratio ferræ non ſolūm eſt, dentatum eſſe, aliās  
enīm lignum vel pannus dentatus formaliter ferra eſſet; ſed  
præterea includit ferrum, adeoque ipsius ratio formalis conſi-  
tit in materiali & formalī ſimul. In quā ſignificatione, ſi quis  
ſtatuat, peccatum formaliter non ſolūm eſſe carentiam, ſed  
etiam aliquid positivi, nihil videtur absurdī dicere. 2. Sumi-  
tur *formale*, pro alterā tantūm compositi parte, v.g. ratio for-  
malis calidi eſt calor, qui non ſimul includit ignem aut cor-  
pus, cui calor eſt additus. Ethoc ſenſu peccatum formaliter  
eſt carentia iuſtitiæ originalis, & non ſimul aliqua positiva res.  
3. Dicitur à nonnullis reatus, qui eſt neceſſarium peccati con-  
ſequens, *formale*, quod per diuinam misericordiam tolli po-  
tēt, priori formalī nihilominūs manente.

VI. *Materiale*, quod eſt ſubiectum peccati itidem du-  
plex eſt, ſcilicet remotum & proximum. Remotum eſt vel  
ſubstantia, ut homo; vel potentia naturalis, ut voluntas. Et  
hoc *materiale*, ſi reſtitutione privatum ſit, non dicitur pecca-  
tum, ſed homo peccator, voluntas peccans. Proximum, eſt  
habitus aut inclinatio aut actus, quæ omnia, ſi reſtitutione ali-  
quā deſtituantur, peccati nomine veniunt. Reſtē enim di-  
co, iuſtitia eſt peccatum, concupiſcentia eſt peccatum, fur-  
tum eſt peccatum.

VII. Eſt autem hæc diſtinctio, quā nimirūm inter ma-  
teriale & formale peccati diſtinguitur, tum in naturā peccati  
explicandā tum in erroribus confutandis perquām neceſſaria.  
Unde theologi eam nunquam non inculcant, B. Chemnitius  
in L.

in L. Theol. de peccat. origin. c. IV. Peccatum originis diversore  
spectu est, & in prædicamento qualitatis, & relationis. In relatione  
formale esse reatum nullum est dubium. Quando vero est in prædi-  
camento qualitatis, sicut in peccato actuali, formale est deformitas  
ipsius actus, quæ est privatio alicujus boni, debiti inesse in actu, &  
aliquid materiale, id est, actus illi deformitati substratus: ita in origi-  
nali formale est carentia justitia debita, seu defectus rectitudinis ab-  
errans à lege DEI. Materiale est concupiscentia, quæ est subjectum  
illius privationis. B. Hutterus, in Loc. Theol. art. IX. de peccato  
orig. Definitionem Philippeam paulò antè productam vellunt non-  
nulli his moti rationibus: 1. Defectus sive privatio est  
absentia formæ, quæ potest adesse. At qui justitia  
originalis non potest in natura humana adesse.  
Ergo peccatum non potest definiri per defectum  
sive privationem justitiae originalis. 2. Inclina-  
tiones, motus & actiones sunt aliquid positivum:  
Peccatum est inclinatio motus & actio. Ergo  
peccatum est aliquid positivum: Et per conse-  
quens non debet ita universaliter definiri per pri-  
vationem & defectum: id quod scriptura etiam  
innuit, quando per vocabula positiva peccatum  
definit, qualia sunt *vetus homo*, *cor lapideum*,  
*caro*, &c. Unde Thomas etiam statuit, pecca-  
tum non esse puram privationem sed habitum  
quendam corruptum. 3. Quicquid atrocitatem  
peccati extenuat, doceri non debet. Privatio

B

exte-

extenuat atrocitatem peccati. E. Sed rationum istarum impetus facile averti & everti potest: Prima enim laborat sophismate vitiōse & imperfecta definitionis. Privatio enim non tantum definitur per absentiam formae, quae potest adesse, sed & quae debebat adesse, imo cui etiam competebat adesse, licet nunc ex interventu tristissimi accidentis, adesse non possit. Deinde Minor propositio non est completemē vera. Et si enim in re naturae justitia originalis non plenē & ex esse restituitur, restituitur tamen ex parte, & restituetur aliquando plenissimē in altera vita, rectissimē proinde peccatum definitur per defectum & privationem illius formae, quae homini potest adesse, imo aliquando perfectissimē ipso actu aderit. Ratio secunda laborat initio sophismate compositionis & divisionis. Nam inclinatio & actio non ponuntur solitariè sive nude, sed cum adjecto complexu pugnantia adversus legem DEI. Deinde vero sophismare accidentis: confunditur enim subjectum privationis cum privatione ipsa. Nam quod in minore dicitur, peccatum esse inclinationem, motum & actionem, non simpliciter haeres positiva intelliguntur: sed simul involvitur & notatur avopia sive atazia, quarebus istis positivis tanquam subjectis inest, & proinde in minore addi debebat, quod peccatum sit inclinationis, motus & actio contra legem DEI: quibus adiectis, ultra cūvis patet, discriminis esse inter subjectum & inter depravationem, quae subjecto per accidens inharet. Quo eodem sensu scriptura etiam vocabula sunt accipienda. Nam epitheta substantivis nominibus addita arguntur, non notari ipsas substantias naturarū à Deo conditarū: sed aliquid in substantiis, nempe vitium & depravationem, quam cum naturā rerum confundere, justa ratio non patitur. Quod ad auctoritatem Thomæ, illa sanè nos minimē tenemur, si vel maximē contra nos ficeret: sed verba ipsius pro nostrā magis militanti sententiā (verbis Thomæ, quæ supra thes. 4. q. 2. in medium attulimus, hæc subiungit: ) Iam vero habitus corruptus non simpliciter notat rem positivam: sed significat accidens in re positivā. Tertia & postrema ratio ex falsa constat hypothesi, qua in minore procerā & indubitate sumitur.

mitur. Vnde petitio principij emergit, neque enim privationis voce extenuatur, sed exaggeratur pœnus peccati atrocitas: & ostenditur, quantam cladem, & quam ingens damnum genus humanum ex privatione hac acceperit. Graves autem sunt cause, propter quas privationis vocabulum in definitione peccati est retinendum: nempe ut conspiciatur discrimen inter res conditas & rerum privationem non conditam, sed à diabolo ortum habentem. Haec tenus Hutterus.

II X. Ceterum peccatum originale aliquantò pleniùs, ita ut ejus causa efficiens & effectus simul exprimantur, hunc in modum describi potest. Peccatum originale est maxima naturæ humanæ justitia originali privatæ depravatio & corruptio, à primo peccato & inobedientiâ Adami in omnes homines communi modo progenitos derivata, efficiens non solum, ut viam ad æternam salutem prorsus ignorent, Deum nec rectè cognoscant nec ament, in bona caduca & terrena inordinatè ferantur, verùm etiam temporalibus ac æternis pœnis obnoxios reddens omnes, qui per spiritum sanctum non renascuntur.

IX. Antequam hinc abeamus verbo adhuc exponemus abominabilem Manichæorum errorem, cuius auctor fuit Manes, qui cum suis complicibus docuit, peccatum non per lapsum primorum parentum in nos derivatum, nec depravationem aut corruptionem naturæ nostræ esse, sed substantiam à malo principio ortam substantiæ hominis à D E O productæ prorsus contrariam, ita ut duæ animæ sint in homine, una bona, quæ à D E O, altera mala, quæ à malâ mente; illam bonarum actionum, hanc malarum causam existere. Videatur S. August. ad Quod vult Deum hæref. XLVI. Similiter in modo deliravit Matthias Flacius Illyricus, qui quamvis Manichæismo expressè non subscriperit, ex eo tamen, quod peccatum substantiam esse asseruit, manichæismus pronâ consequentiâ deducitur. Sed hæc ulteriori disquisitione non indigent, cùm recitasse talia refutasse sit.

B 2 Quæ-

## Quæstio Tertia.

*An peccatum originale sit concupiscentia?*

### I.

**V**ocabulum concupiscentiæ est æquivocum. 1. Sumitur in actu primo, scilicet pro inclinatione ad concupiscentium malum. 2. In actu secundo idq; dupliciter, 1. pro motu concupiscentiæ involuntario. 2. pro motu concupiscentiæ voluntario. Concupiscentia priori modo sive in actu primo considerata non solum appetitui sensitivo, verum etiam intellectui & voluntati insidet. Nam in intellectu est proximitas ad errores, in voluntate ad odium & desperationem, in appetitu ad carnalia desideria; quæ pravæ inclinationes uno nomine concupiscentia vocantur. De hac igitur est quæstio, utrum ea cum cæteris justitiæ originalis privationibus peccatum originale constituat. Nobis id affirmantibus pontificijs ex decreto Concilij Tridentini contradicunt, afferentes, concupiscentiam in actu primo nō esse peccatum, sed quandam imperfectionem, quæ homini, si in puris naturalibus crearetur, esset naturalis: post lapsum verò primi parentis esse effectum peccati, qui rectè vocetur morbus seu languor naturæ, infirmitas, fomes peccati, vis appetendi immoderata, fons tentationis, &c. Vid. Becan. Manual. I. i. c. XIV. n. 3.

**II.** Veram sententiam, quæ nostra est, hoc argumento damus probatam: Quaecunq; imperfeccio nobis connascitur, & est carentia justitiæ originalis, pugnans cum lege Dei, illa est peccatum originale. Atqui concupiscentia in actu primo nobis contrascitur & est carentia justitiæ originalis pugnans cum lege Dei. Ergo concupiscentia in actu primo est peccatum originale. Major ex terminis nota est & ab ipsis pontificijs admittitur. Unicum saltem observetur ex Becan. Scholast. Theol. part. 2. tract. 2. c. 9. quæst. 2. n. 6. tripliciter aliquid repugnare legi Dei.

Dei. I. Effectivè & sic homo efficiens actum malum pugnat cum lege.  
2. Privativè, & sic malitia seu deformitas actus pugnat cum lege.  
3. Contrariè, & sic una lex potest repugnare alteri, quia præcipit contrarium. Igitur major vera est in secundo sensu, non autem in reliquis.

III. Minor quo ad priora duo membra extra dubitationis aleam posita est; quo ad posterius, facile probatur. Etenim lex primæva hominem imagine divinâ instructum ad finem supernaturalem dirigens perfectissimam obœdientiam exigebat, ita ut eum non solum indeliberatis concupiscentiæ motibus, sed etiam inclinatione ad ejusmodi inordinatus motus vacare oporteret. Cum verò homo post lapsum diuinis motibus & pravâ ad eos inclinatione non vacet, id primævæ legi repugnat, adeoq; peccatum est. Unde Apostolus, Rom. VII. 7. dicit, concupiscentiam pugnare cum precepto isto, *non concupisces*. In hoc autem loco non agi de actuali concupiscentiâ, cui mens consentiat, sed de congenitâ illâ ad peccandum inclinatione, inde constat, quod eam peccatum esse non nisi ex lege cognosci possit, uti expressè id à Paulo assertur. Quin ipse Beccanus Theol. Scholast. part. 2. tract. 3. c. i. quæst. 2. n. 2. sui quidem oblitus, veritate tamen coactus, concedit, verba Pauli loc. cit. v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, intelligenda esse de concupiscentiâ, quæ incitat ad peccatum, & sic potius discessio sit à lege quam lex. Quod si verò concupiscentia proritans ad peccandum discessio est à lege, omnino ea peccatum est. Hæc ingenua confessio, quomodo cum ybis §. 1. ex ipso Beccano adductis conciliari possit, ipse dispiciat.

IV. Cœterum Pontificij communiter hunc in modum contra veritatem argumentantur: *Quicquid habet rationem peccati, hoc per Christi gratiam in baptismo tollitur ac deletur. Concupiscentia in actu primo non tollitur. E. concupiscentia non est peccatum originale*. Beccan. Manual. cit. loc. n. 2. Nos concessâ minore, negamus majorem. Ratio negationis patet ex preceedente discur-

su, quo evidenter probavimus, concupiscentiam esse peccatum,  
quæ cum maneat in baptizatis, certo evincitur, non oinne,  
quod rationem peccati habet, per baptismum tolli.

V. Quod ut rectius intelligatur, distinguendum est inter ipsum peccatum originis & ejus reatum. Hunc totum tolli per baptismum dudum confessi sunt nostrates. Chemnitius Exam. Concil. Trident. part. i. de peccati orig. reliquijs: *Didicimus ex scripturâ, ait, in baptismo per mortem & resurrectionem Christi fieri remissionem omnium peccatorum. Et illam non esse superficiariam, nō dimidiatam aut partialem, sed plenam & perfectam, ita ut nulla condonatio sit his, qui in Christo Iesu sunt.* Quod verò peccatum ipsum concernit, statuimus, illud in regeneratione ex parte tolli & contrà imaginem divinam eo modo, qui Deo ad jus cœlestis hæreditatis recuperandum fuerit visus, restitui, pristinę tamen conditioni, quæ ante lapsum erat, non æquari, cùm concupiscentia adhuc sit reliqua. De hoc iterum Chemnit. cit. loc. *Discimus & hoc ex scripturâ, baptismum esse lavacrum regenerationis & renovationis per spiritum sanctum, Tit. 3. Loco igitur defectus originalis, spiritus sanctus in renatis operatur nova dona, spirituales facultates & motus. Incipit etiam naturam sanare, moreficare & crucifigere veterem hominem cum morbis, concupiscentiis & actionibus carnis, &c. Malum tamen originale, licet per baptismum remissum sit, non tamen subito totum tollitur & penitus extirpatur ex carne renatorum, sed ejus reliquia quadam, defectus scilicet & concupiscentia supersunt & harent in carne renatorum in hac vitâ.* Haec tenus Chemnitius.

VI. Ingens autem discriminis est inter concupiscentiam, quæ in infidelibus est, & inter eam, quæ adhuc in renatis existit. In illis concupiscentia est conjuncta cùm reatu sive cum obligatione subeundæ æternæ damnationis, adeoq; est peccatum damnans. In his verò invenitur concupiscentia sine reatu sive sine obligatione ad poenam. Unde bene Chemnitius: *quando explica-*

explicamus discrimen peccati mortalis & venialis, fideliter & diligenter monemus, concupiscentiam, quae in renatis reliqua est, quando ei ita restitutur, ut actiones ejus spiritu mortificentur, non esse peccatum mortale sive regnans aut vastans conscientiam. Docemus etiam, non esse peccatum damnans credentes: hoc est, propter quod damnantur ij, qui in Christo Iesu sunt. Hoc ipso tamen concupiscentia non desinit esse peccatum, quia formale ejus, quod est carentia rectitudinis pugnans cum lege Dei, manet, quamvis effectus ejus, qui est reatus, in baptismo aboleatur. Hinc bene S. Augustinus l. i. de nuptijs & concupiscentiâ: *Dimititur, inquit, concupiscentia carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.* Quamvis autem reatus suo jam soluto, manet tamen donec sanetur omnis infirmitas.

VII. Becanus Manual. l. I.c. XIV. n. 5. ad hunc locum Augustini ita respondet: *Concupiscentia duplice potest spectari secundum Augustinum. Primo quatenus est conjuncta reatu peccati originalis, quo quasi extrinsecus informatur. Et hoc modo est in infidelibus, qui non sunt baptizati. Secundo quatenus est separata à reatu peccati originalis. Et sic est in ijs, qui baptizati sunt. Igitur Augustinus docet, concupiscentiam remitti in baptismo, quoad reatum, non quoad se: Vel at alibi loquitur, transire reatu & manere actu (l. 6. contra Julianum c. 3. § 8.) quod perinde est, ac si dicat, concupiscentiam in homine ante baptismum conjunctam esse cum peccato originali, post baptismum separatam esse.*

IX. Verba S. Augustini satis quidem perspicua sunt, nihilominus tamen Becanus per depravationem & violentam torsionem tamdem ex ijs elicit, quod ipsi arridet. Primo affingit Becanus Augustino, quasi ipsius mens sit, concupiscentiam in infidelibus intrinsecè & in se esse bonam & nullâ ratione peccatum; culpabilem tamen dici non quidem proprio sed peccati originalis, cum quo conjuncta sit, reatu. Hinc secundò in renatis remitti non quoad se, sed quoad reatum peccati originalis, i. e. peccatum originale ejusque reatum à concupiscentiâ in baptismo separari & tolli. Ad primum respondemus, concupiscentiam ex mente Augustini intrinsecè sive in se omnino esse culpabilem adeoq; peccatum: expressè enim asserit, eam suo, i. e. proprio (non alterius) reatu in baptismo solvi. Ad secundum respondeat ipse Augustinus, verba ejus ita habent: *dimititur concupiscentia carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.* Jam vero quodcumque remittitur, ita ut tanquam peccatum non imputetur, illud

illud peccatum sit; necesse est: manifestam enim contradictionem implicat, aliquid remitti sive tanquam peccatum non imputari, quod vera peccatum non sit. Ne autem quis de mente Augustini adhuc dubitet, adducemus ex l.5. contra Julianum locum clarissimum, quem recte B. Chemnitius contra pontificios urget: *Sicut cæcitas cordis*, inquit Augustinus, *quam solus removet illuminator Deus*, & peccatum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, quâ cor superbum dignâ animadversione punitur; & causa peccati, quum mali aliquid cœci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupisicit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddit a est meritis inobedientis; & causa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis. — *Si saperes (Juliane) profecta esse iniquitatem, videres, quâ pars inferior hominis repugnat superiori atq; meliori. At omnis iniquitas peccatum est.* I. Joh. III. 4. V. 17.

## Quæstio Quarta.

*An peccatum originale sit naturale vitium?*

I. Dicitur aliquid naturale duplicitate. 1. Naturale idem est ac essentiale & quod ex essentiâ necessariò fluit. In quâ significatione v. g. homini naturale est, esse animal rationale, item, esse disciplinarum capacem: quorum duo priora essentiam constituunt; posterius eam necessariò consequitur, estq; propriū in quarto modo. 2. Sumitur naturale pro eo, quod cum naturâ cœpit & propagatur. Opponitur autem ei personale, quod videlicet non ad naturam pertinet, nec cum eâ propagatur, sed saltem ad personam. Hoc sensu imago divina, quâ primi nostri parentes prædicti erant, recte dicitur donum naturale, quod Adamo concessum erat, non ut eo solus gauderet, sed ut idem cum naturâ ad omnes posteros transmitteret. Postquam vero peccavit, illud non modò sibi verùm etiam toti posteritati amisit. Et quoniam post lapsum generat filios secundum suam imaginem, id est, peccato infestos, verè illud peccatum in filiis Adami est vitium naturale: connatur enim nobis & cum naturâ in omnes posteros propagatur. Unde dicimur *naturâ filij ira*,

Ephes. II. vers. 3.

F I N I S.







# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



theologica  
ARTO  
INIS  
M. A.  
ARTINO  
ol. Doctore  
linar.  
*ad. Martij*  
objicit  
HUS HAGIUS,  
phalus.



T 161

L I I,  
pographus Academicus,